

De satira Horatiana.

Edidit

M. Petschar,

c. r. professor gymnasii Rudolfswertensis.



Rudolfswerti.

Propriis sumptibus et typis J. Krajec.

MDCCLXXVIII.

nr 871.09

De satira Horatiana.

Edidit

M. Petschar,

c. r. professor gymnsii Rudolfswertensis.

Rudolfswerti.

Propriis sumptibus et typis J. Krajec.

MDCCLXXVIII.

ROBERTSON 61182 30

33065



D 1940/1809

De satira Horatiana.

Quanam educatione doctorumque disciplina, quibus aequalium studiis et moribus ad versus componendos impulsus sit Horatius, perscrutari, quantopere ad universam ejus poësin recte accurateque intelligendam proficiat, jam illa de carmine Horatii epodico dissertatione, quam tribus annis ante in programmate gymnasii Vinkovcensis edidi¹⁾, probare conatus sum. Eam sententiam quum jam in jambis et carminibus melicis, quamvis haec poëseos genera in propriis poetae sensibus exprimendis magis quam in rebus hominibusque describendis acquiescant, stare atque confirmari videmus, tum praecipue ad illud genus bene judicandum, quo poetae virtutes maxime eniteant atque illustrentur, satiras dico, referendam esse arbitror. Hac enim quaestionis via atque ratione instituta nobis persuasum habebimus, quamobrem hic poëta pro suo ingenio et Augusteae aetatis condicione ad illam scribendi artem, quam in satiris componendis in universum aestimantes admiramur, prope modum coactus sit.

Atque idem poëta, ut jam de carmine epodico disserentes abunde docuimus, pro sua educatione pristinae reipublicae libertatis adeo erat amantissimus, ut non posset, quin post pugnam ad Philippos rerum praesentem statum jambis exsecraretur criminosis; sed, quum Augusti imperium mansuetum magis magisque seditiosorum animos turbidos placaret et componeret eademque palma immortalitatis, quae alias rebus tantum domi militiaeque bene gestis contigisset, nunc ejusdem principis auspicio etiam poetis porrigeretur, tum non solum in jambis componendis faciliores animi motus concepit poeta et sensim ad Octaviani partes discessit, sed etiam ad Epicuri cohortationam procul ab omnibus magistratum

¹⁾ Vide Vinkovcer Gymnasial programm 1875.

muneribus talem vitam otiosam agere constituit, ut vivendi et scribendi vitia notando boni benevolique Censoris quasi vicibus fungeretur. Igitur eam vitam, quae tota in summorum bonorum meditatione esset, idcirco potiore habebat quam rerum forensium strepitum, quia ali otio majora beneficia in Romanos redundatura esse putabat quam magistratum negotiis obeundis; nam exinde tantum, quod hoc summopere curabat, ut vitam vere beatam sibi conciliaret eamque non in cujusdam philosophi secta sed in experientia i. e. in rebus hominibusque cognoscendis quae rebus, omnia Horatii poemata suas ducunt virtutes; exinde maxime probatur poeta, quod poesi exercenda Musarumque cultu id maxime agebat, ut aequalibus opinionibus praesumptis fluitantibus firmus staret, mores ab optimo patre insitos tueretur atque profanum vulgus arceret; quod denique quum in universa poesi sua tum maxime in satiris summam operam dabat, ut et aequales et omnes omnium aevorum animos studio recti et decori, pravi et inhonesti taedio imbueret. Eodem vero ingenii nobilis proprio consilio semper idem nobis apparet poeta, mittitur sive furens in celeres jambos, sive in carminibus altius insurgit, sive in satiris aequales ridendo castigat, sive in epistolis docendo delectat; omnia haec poeseos genera, quae ab pugna ad Philippos usque ad obitum suum excolebat, veluti ex nucleo arboris opacissimae effloruerunt. —

Sed sicuti auctumno arboris virtutes fructuum copia maxime cognoscuntur, ita etiam epistolae Horatianae, quae satirarum nituntur radicibus, illius sapientiae nudaque veritatis fructus, quibus non homines rebus sed res hominibus subjungantur, nobis decerpentes atque fruendos largissime praebent et docent simul, utrum audax tantum paupertas (cf. epist II, 2, 51 sq.) an ingenii quaedam vis principalis causa fuerit, ut non agendo civium libertatem irreparabilem recuperare sed alia libertate commutare eamque potissimum poesi exercenda consequi et firmare studeret. Quum enim rerum militarium et forensium honores alias cuique Romanorum summopere concupiscendae e republica sensim tollerentur et ad unum redundarent principem, quis mirabitur, quod cum nobilissimis aequalium ingeniis etiam Horatius pulcherrimos vivendi fructus ex animi libertate atque tranquillitate quaerebat eosque se maxime ex sapientissimorum virorum scriptis atque doctrina carpere posse putabat? At tamen Horatium his studiis intentum simul non fugiebat, quemadmodum philosophorum sectatores aetatis Augustae hujus animi libertatis pariter essent expertes ac supersticiosi

vel homines a rebus forensibus prorsus remoti, qui ne otio quidem ab Epicuro commendato miseros mentis tumultus sibi excutere valerent. Novam igitur viam ingredi et, ut Romanum decebat, experientiam optimam vitae magistram Horatium ut lucidam quandam stellam interlucentem per nubes coelo obductas intueri oportebat, ita quidem, ut contra philosophorum subtilitates inanes praecipue rebus hominibusque cognoscendis niteretur atque in moribus emendandis a vitiis suis aliorumque castigandis inciperet. Hoc vero poetae consilium, quo non se rebus sed sibi res subjungere studebat, quod poëseos tandem genus magis adjuvare poterat nisi id, quo ex sapientissimorum virorum praeceptis optima quaeque atque ad vitae communis usum utilissima carperet et eligeret; quo neque cuidam sectae addictus neque, ut in carminibus melicis, mentis furori superstitionumque persuasionibus indulgens sine ira et studio vitia aequalium castigaret, summorum bonorum meditatione verae libertatis fontes et sibi et aliis recluderet? Quod se potissimum satiris scribendis assequi posse et hoc genere poëseos maxime delectari poeta ipse in sat. I. 4, 105 sqq. confitetur dicens:

. . . . *Insuevit pater optimus hoc me*

Ut fugerem exemplis vitiorum quaeque notando.

nec non in sat. II. 1, 27 affirmans:

Quot capitum vivunt, totidem studiorum

Milia; me pedibus delectat claudere verba

Lucili ritū, nostrum melioris utroque.

Se vero satirarum genere maxime pollere in sat. I. 10, 46—47 asseverat:

Hoc erat, experto frustra Varrone Atacino

Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem

Inventore minor, neque ego illi detrahere ausim

Haerentem capiti cum multa laude coronam.

Quia igitur pristina civium libertate amissa hanc aliam in virtute positam, quae ei tantum, qui sit „integer vitae scelerisque purus“ contingat, sibi vindicare studebat eumque animi habitum, qui nunquam ex aequalium opinionibus praesumptis penderet, defendere, tutari, augere sibi proposuerat: certe hoc ipsum poëseos genus, de quo agimus, pro indole atque consilio suo maxime erat consentaneum ingenio studiis moribus tam poetae quam aequalium Augustae aetatis. Quae mores et studia quum a Lucilii temporibus admodum abhorrent, eadem ex causa multum etiam eo valuisse,

ut Horatius in universum aliam a Lucilio diversam scribendi rationem inire propemodum coactus sit, cuique tempora Lucilii cum Horatii aetate comparanti in aperto esse debet. Lucilio nimirum florente jam varia quidem vitia libidinesque turpes in civitatem ingruere multorumque nobilium animos perturbavere; sed republica adhuc integra et libertate civium vigente quasi Censoris cujusdam gravitate primores notare urbemque „sale multo“ et scribendi licentia defricare, nihil habebat inauditae petulantiae, immo illi dicendi libertati, quae tum Romanis in rebus forensibus usitata erat et in quibusdam Ciceronis orationibus reperitur, prorsus respondebat. Horatius vero temporibus mutatis ultro ad aliam ab Epicuro commendatam libertatem intentus etiam in satiris componendis, quum risum potius quam indignationem movere mallet, rarissime acerbius aequales exagitat et in satiris multo magis ab vestigiis Lucilli discedit quam in jambis ab inventore Archilocho; item Neronis et Nervae tempora morum increcente pravitate si non deterius at certe ab Horatii satiris diversum genus, quale a Persio et Juvenale nobis exhibetur, in medium protulerunt. Quamobrem haec tota disputatio nostra id imprimis investigare sibi proposuit, quatenus primae satirae Horatii nonnunquam pressius quidem Lucilii exemplum spectent atque nihilosecius in universum ad novam ab poeta Venusino inventam speciem pertineant, in altera vero parte hujus novi generis virtutes ex universa hac satirarum poësi simul respicientes Persii Juvenalisque scribendi rationem probare conabimur.

I.

Quamquam pro Augusteae aetatis moribus studiisque mutatis etiam Horatii ingenium ejusque Musam humi repentem a Lucilio magis magisque secedere debuisse consentaneum est, tamen pristina dicendi licentia non prorsus erat extincta neque civium nobiliora ingenia adeo obtusa atque languida ut hoc rerum novarum novo statu minus dolerent atque ab conviciis probris offensionibusque primorum civitatis omnino abstinerent. Itaque etiam Horatius, quum ipse Bruti et Cassii partes summo cum ardore secutus esset, nec statim atque repente hanc rerum praesentium novam formam adamare nec extemplo vel leviter sensibus mollioribus indulgere potuit nec studia sua ad eam tantum dignitatem, quae

in summorum bonorum meditatione atque fructu posita sit, expendendam confestim convertit. Ideo et in jambis nonnunquam vehementius in singulos homines abripitur similique aufertur animo irritato in satira primi libri secunda, quae, quum, excepta ejusdem libri satira septima, temporis et compositionis ordine primum locum obtinere debeat, etiam ad Lucilii consuetudinem atque licentiam partim primores civitatis partim homines Octaviano, gratissimos irridendo perstriugit.

Porro etiam satirae I. 3, 4, 8 pariter ac jamborum genus poetae animum post pugnam ad Philippos non solum privatis rerum augustiis conflictatum manifestant sed etiam obtrectatoribus inimicorumque invidia infestatum vel perfidiae ulciscendae cupiditate in puellam incensum ostendunt. Ergo ex simili animi vehementia, quae majori epodarum parti parens fuit, trahunt originem suam ea argumenta, quibus Cupienium, Libonem, Capitolinum et ceteros parasitas familiaresque Octaviani castigat, ipsum Maecenatem ficto (cf. sat. I. 2, 25) nomine nuper perstringit, Canidiam jambis criminosis diffamatam nunc narratione Priapi efficta summa dicendi lasievia irridet. Sed, ne plura dicam de satirae octavae foeda licentia et Priapi narratione obscoena, satira I. 2 profecto sensuum acerbitate allusionibusque mordacibus in singulos homines deperditos atque abjectos proxime ad Lucilianum genus accedit, et, quum satirarum scriptores veram quidem morum imaginem proponere neque tamen decorum, quod omnis poeseos est munus, negligere debeant, famosa morum Augusteae aetatis descriptione mimorum potius redolet lasciviam quam satirarum pudorem. At reputantibus nobis quum illorum temporum depravationem tum consilium poetae, quippe qui et aequales suos ad sapientem voluptatis usum revocare et se ipsum ex multitudinis opinionibus expedire studeret, haud vitio tribuendum est, quod hoc consilio egregio commotus ad aequalium mores hujus satirae elocutionem accommodabat. Hoc enim consilio non solum ad Catonis sententiam voluptatis sobrium commendat fructum, sed etiam Epicuri φρόνησις sequutus voluptatem facilem ac parabilem laudare vel illud Aristippi ἔχω, οὐκ ἔχομαι popularibus suis inculcare voluit. Ergo, quamvis vitia irridere, libidines castigare satirarum sit proprium, quamvis et sat. I. 2, 8 vehementiam quandam animi prodant nec non sat. I. 2, 3, 4 more Luciliano Octaviani familiares laedantur, quam vis poeta illam vivendi scribendique temperantiam ante amicitiam cum Maecenate initam ad posteriorum nondum satirarum perduxerit per-

fectionem: tamen idem jam his primis initiis in arenam latius patentam descendit moresquae castigando verae humanitatis fructus atque commoda sibi et aliis ministrat, vitae varias conditiones cum philosophorum praeceptis comparat, semper vero id agit, ut sensim occupet portum verae sapientiae, quae „aeque pauperibus prodest, locupletibus aequae, aequae neglecta pueris senibusque nocebit.“ Quum igitur harum satirarum irrisiones nullibi prodant nimiam animi vehementiam atque acerbiteriam, tum etiam eo valde temperantur, quod poeta docendi consilio imprimis ductus res tractandas aequae ad suos atque aequalium mores studiaque emendanda accommodat. Ipse enim ad summarum rerum meditationem intentus veraeque vivendi felicitatis studiosus quum videret hanc vitam beatam neque philosophorum libris suppeditari et simul cognosceret aequalium maximeque nobilium Romanorum mores repugnare majorum virtutibus, quas patris educatione institutus summo amore amplexus est: quid erat reliquum nisi, ut vitiis castigandis ipsius mores integros tueretur, quid boni vel pravi sibi inesset, ingenue confiteretur, ut demum irridendis hominibus, qui turpia lenocinia atque vanas ostentationes virtutis ad Epicuri vel Zenonis praecepta male referrent, omnibus probaret se pariter ab aretelogis ridiculis atque ab vulgi superstitionibus opinionibusque praesumptis abesse? Considerantes porro Augusteae aetatis malorum poetarum turbam magnam non virtutes antiquorum sed scribendi corundem incuriam admiratione persequentem, facile in aperto habebimus, quam ob causam idem poeta in his primis satiris suam scribendi rationem novumque satirae genus contra obtrectatores et antiquorum poetarum laudatores defendere constituit. —

Sed quocumque modo se res habet, hoc jam in primis satiris praecipue teneamus oportet poetam vivendi et scribendi vitia non solum ridendo vituperare sed simul se ipsum et aequales exhortari, docere, corrigere et emendare voluisse. Quam sententiam ipse probavit candide confitens se id tantum quaerere, quo in dies melior, amicis jucundior fieret, quo animi servaret tranquillitatem: se denique in hoc elaborare, ut in numeris modisque scribendi illis tantum viris placeret, qui ad Maecenatis Octavianique elegantiae studium pariter atque ipse artem emuncte scribendi excolerent. Virtus vero quum medium inter partes extremas obfineat locum illaque via media etiam in scribendo maxime sit tenenda, re ipsa sequitur, ut nunquam rigidum agat satellitem nec se vitiorum pror-

sus expertem profiteatur, sed ridendo potius atque jocando verum dicat et homines perstringens ex inopinato praeceptum aliquod, quo occulte omnia tendant, gravissimus verbis et sententiis depromat. Ideo jam his primis initiis verissima imago tam poëtae quam Augusteae aetatis nobis ob oculos ponitur, jam primae satirae praeceptis salutaribus ad proverbiorum brevitatē expressis abundant, salibus lepidissimis et orationis varietate delectant.

Si igitur Augusteae aetatis mores perversos candidumque satirae I. 2 consilium perpendentes verborum spurcitiem poetae jure condonamus, revera jam haec prima sermonum initia etiam compositione et orationis vividis coloribus omnes reliquas satiras aequiparant. In primis enim satiris quum aequales suos raro acerbius, saepe jocosius exagitat, illa dicendi urbanitate procedit, qua primorum civitatis in eadem re enitentibus opes Graeci sermonis cum linguae latinae natura in unum coalescebant: jam in primis satirarum exemplis non minus laudanda dicendi elegantia quam orationis varietate demulcemur, quum experientiam, optimam vitae magistrā, communemque loquendi usum sectans modo narrat, modo homines ipsos loquentes inducit, rarissime poëtarum mellicorum spiritus sumit, plerumque vero urbani hominis temperata utitur dictione et tali totius elocutionis fervore excellit, qui tantummodo ex diligenti hominum rerumque cognitione repeti potest. —

Quodsi denique haec omnia a nobis in prima quaestionis parte disputata in unum colligere nec non illius familiaritatis recordari licet, quae jam ante Maecenatis usum inter Horatium atque Vergilium, Tuccam, Varium, Aristium Fuscum aliosque nobilissimos poetas intercedebat atque scribendi elegantiae summo erat incremento, haud amplius mirabimur, quare jam his primis satiris ingenii singularis documenta nobis praestiterit Horatius easdemque hujus poeseos virtutes inita tandem cum Maecenate amicitia adeo in majus provexerit, ut inter satirarum auctores princeps exstiterit eandemque laudem usque ad nostram retineat memoriam.

II.

Quanam ex causa in satiris scribendis rationem atque viam ab Lucilio alienam instituerit Horatius, ex iis, quae supra de primarum satirarum arte disputavimus, quisque satis perspiciat nec non, nisi poëta ipse in sat. II. 1 et I. 4, 40 de hoc genere poeseos copiosius disseruisset, ultro divinare possit, quamobrem idem non aliter atque ipse praecipiat argumenta invenerit et tractaverit.

Ergo modo Stoicos ineptos atque loquaces aretalogos, ut Fabium, Crispinum, Stertinium, Damasippum virtute nimium jactantes in medium prodire facit, modo homines Epicuri philosophiam ad libidines turpes atque lenocinia male referentes in controversiam vocantur, jam prodigi, ambitiosi, hereditariae, avari, Voluptatis sacerdotes, divitiis superbientes homunculi legentium movent risum, quum rebus, quas poeta sibi subjungere studeat, misere obstringantur atque vexentur. Nunquam vero ut in primis satirarum initiis, viri nobiles facetiis acerbioribus defricantur, frustra quaeras in omnibus satiris locum, ubi viri dignitate moribusque conspicui irrisionibus exagitantur. Immo egregia urbanitatis atque temperantiae documenta hoc dedit poeta, quod nullibi jamborum licentia triumviros castigat vel civium dissensiones accusat; quod contra Lucillii consuetudinem non semper veris sed nonnunquam fictis nominibus utebatur. Hoc autem ita fecit, ut ex ficti nominis pari syllabarum numero atque pari vocalium quantitate aliisque significationibus verum nomen quisque facile conjicere posset; itaque sub nomine ficto Canidia Gratidiam, sub nomine Malchino Maecenatem effeminatum latere Weberus in libro suo:

Quintus Horatius Flanus „als Mensch und Dichter“ rectissime observat; vera autem virorum nobilium nomina nonnisi in sat. I. 2 ad Lucillii dicendi licentiam exarata reperiuntur, ut Crispus Sallustius, Villus, Galba; quamobrem Horatius ab consuetudine hac in reliquis satiris a Lucilio discesserit atque plerumque homines ignobiles, scilicet scurras ut Pantolabum, Nomentanum vel philosophorum ineptos sectatores ut Crispinum, Damasippum, Hermogenem, Tigellium, Demetrium, Scaevam etc. veris significaverit nominibus, cuique re ipsa in promptu est. Propter eandem urbanitatem Horatii, qui magis rerum hominumque aequalium usus quam philosophorum nugae reconditas spectabat, omnes rerum divinarum irrisiones nullum habent in satiris locum omninoque religionum nunquam mentio fit. Itaque pro Romanorum propria pietate in deos tutelares variae philosophorum sententiae ita exhibentur, ut nec civium accusent dissensiones nec religionibus reipublicae essent detrimento. Nam etsi poeta in vita instituenda maxime Epicurum atque Aristippum sibi elegit ducem, tamen pro eadem urbanitate et reipublicae salute, quae illis temporibus nonnisi deorum pietate atque clarissimorum virorum auctoritate stare poterat, nunquam Juvenalis more religionum superstitiones jocosa quadam levitate tractat vel philoso-

phorum fastidio despicit, nisi forte huc numeras Sat. I. 5, 100 et finem Sat. I. 9, 69—72.

Horatii igitur satira quum eo, quod ab omnibus rerum divinarum irrisionibus vel primorum civitatis conviciis prorsus abstinerebat, nullam invidiam apud viros nobilissimos sibi conflare poterat, tum idem animus bene compositus, quem poëta in vita instituenda observare studebat, in omnibus viget sermonibus idemque docendi studium, quo vita vere beata in corporis animique facultatum mutua concordia ponitur perque servum poëtae ipsius vitia (cf. sat. II. 7) hilari protervitate deblaterantur, omnis cavillationis speciem vel jocosae columniae suspicionem discutit atque propellit.

At Horatium non solum in moribus aequalium sed etiam in scribendi vitiis notandis eodem studio ductum esse ex sat. 1, 4, 10 et II. 1 perspicimus ubi in Lucilii antiquorumque poetarum admiratores recentis autem satirae detrectatores acrius quidem invehit, attamen simul, quibusnam vicibus satirae fungi debeant, accuratius docet. Nam ut poëta ipse pro rerum tractandarum natura modo narrat, modo personas ad scenicorum consuetudinem colloquentes inducit, jam in genus melicum aberrans altius insurgit, jam sermoni et usui communi loquendi propius accedit urbanique utitur partibus; ita et in sat. I. 4, 10 et II. 1 de hujus poeseos munere quaerens easdem virtutes, quibus ipse excellit, a ceteris satirarum scriptoribus expetit rectissime observans:

*Ergo non satis est risu diducere rictum
Auditoris; et est quaedam tamen hic quoque virtus;
Est brevitate opus, ut currat sententia, neu se
Impediat verbis lassas oncrantibus aures;
Et sermone opus est modo rhetoris modo poëtae,
Interdum urbani, parcentis viribus atque
Extenuantis eas consulto; ridiculum acri
Fortius et melius magnas plerumque secat res.*

Quantopere haec praecepta et monita poëta ipse tam universa compositionis arte quam orationis numerorumque usu observaverit, quisque, qui sermones ejus legendo altius planiusque examinavit, facile intelliget; his quidem Socratem vel Platonem et comicos Atticorum multo pressius imitatur quam Lucilius, qui tantum proceros simili notandi licentia verbisque obscœnis Aristophanis, Cratini aliorumque comicorum redolet artem. Sicuti enim Horatius pariter ac sapientissimus Graecorum philosophus saepius in foro commorabatur, colloquebatur, nugas agebat vel, quanti res venales

constent, quaerebat: ita apud utrumque ex occasione fortuito oblata gravissimae sententiae ultro exoriuntur, sermones soluta decurrunt junctura et ex inopinato ad varias res legentes abripiunt. Inde jam nascuntur fabellae, narratiunculae, comparationes, exempla, significationes alludentes, quibus poeta in carminibus quidem nimis consultam compositionem et artem recondere studet, in satiris vero sententiam primariam adeo illustrare, mores ipsius vel aliorum adeo adumbrare callet, ut res hominesque sicut in Platonis dialogis propriis quasi intueamur oculis. Comparationes enim et exempla semper omnibus notissima sunt et ex vita communis vel mythis, ex historia vel rerum natura petuntur (cf. Sat. I. 55; 65—70, 100; Sat. II. 6, 79—117 etc.). Exempla vero aut saepius non tam sententiae illustrandae inserviunt, sed potius pro meris irrisionibus habenda sunt, quoties poeta ad Lucilii morem quorundam hominum nomina vocabulis „ut, velut“ praepositis pronunciat eosque obliquis sententiis et quasi praeteriens denotat; aut ad sententiam clarius intelligendam adhibentur, ut omissio vocabulo „ut“ imagine ipsa pro re posita sententia primaria explicaretur¹⁾.

Jam vero aliis alludentibus vel obliquis sententiis ad eundem sermonis communis decursum solutum in homines quosdam ultro oblatos jaculatur poeta, ita quidem, ut non tam ex maligno ingenio quam ex sententiarum nexu ultro atque inopinato exoriantur et risum potius quam invidiam indignationemque excitent. Ergo longe aliud agere simulans poeta subito in Fabium, Catiam, Nomentanum, Pomponium, aliosque erumpit neque Juvenalis et Persii exemplo in describendis moribus justo longius commoratur neque ex porticu loquitur neque, ut Juvenalis, rhetoris semper defendit vices. Immo sive ipse narrat, ut plerumque in satirarum libro primo fit, sive personas colloquentes inducit, quod libri secundi est proprium, semper variat orationem, modo poetae vel philosophi more incedens, modo rhetoris vel urbani vicibus fungens; nunquam in doctrina abscondita se jactat, sed veram morum imaginem experientia duce proponere studet; nihil ut apud Persium et Juvenalem omnibus ex numeris absolvitur vel ex cathedra docetur, sed libat tantummodo res, ut legentes ipsi ea, quae prudentissime reticeat, ultro conjicere atque divinare cogantur.

1) De qua re copiosius tractabat Krüger in suis annotationibus ad Horatii satiras et epistolas.

Quae quum ita sint, haud haesitem, si quis quaerat, utrum satira epice an scenice exarata moribus describendis magis conveniat, quominus hanc praeferam illi. Nam in genere scenico jam altercantur personae jam colloquuntur, jam disputant; interdum narratio mera obtinet locum eoque communis sermonis varietas scribendo lepidissime redditur, semper dialogo res clarius ob oculos versantur, quam id continua dissertatione vel oratione fieri potest. Quamobrem haec satirarum forma non solum in libro secundo praeponderat, sed etiam in libro primo oratio perpetua saepius praeciditur personis inter se colloquentibus ejusque generis haud quidquam vel apud veteres vel recentes poëtas invenias, quod aequiparet satiram primi libri nonam. Haec vero dialogi forma, in qua non tam divinus ille furor, qualem Plato describit, sed judicium acumen sales ingeniosi locum habent, poëtae Venu-sino minus spiritu Pindarico praedito quam judicio atque urbanitate praeclaro maxime et respondebat et exstabant multa adhuc exempla, quibus hanc artem satiras scenice componendi formaret, augetet, ad summum perfectionis gradum perduceret. Dabatur enim etiam Horatii temporibus illa vetus satira scenica; tum maxime etiam mimae et planipedes humili genere natos homines eorumque mores repraesentabant atque ad eorum mentes cogitationesque etiam sermonem vulgarem et joca obscœna, intermixtis praeceptis utilibus usurpabant, denique Flaccum etiam in familiaritate priscae recentiorisque Atticorum comoediae multum esse versatum ipsius satirae saepius probant. Itaque quidem factum est, ut nonnunquam etiam veterem illam satiram scenicam imitaretur (cf. Sat. I. 5 et II. 7), interdum Lucilii Aristophanisque aculeis nobiles viros instigaret (cf. Sat. I. 2, ssqq.; 33—35, 45, 84, 3, 40), alibi Menandri et Terentii uteretur festivitate atque facetiarum elegantia (cf. Sat. I. 1, 73 sqq.; 10, 40—42; 4, 48—52; II. 3, 26 etc.); sed maxime inter satirarum scriptores inclaruit in diverbiis connectendis illa brevitas atque varietatis cura, qua Atticorum poëtae comici excelebant. Quae Graecorum imitatio, quum satiras ad Augustae aetatis mores suumque ipsius ingenium accommodaret, ingeniosi potius auctoris specimina quam discipuli in verba magistri jurantis prae se ferre videtur. Non enim omnia, quae tamquam e Graecorum comoedia petita Heindorfius et Lambinus attulerunt atque collegerunt, ex pressa imitatione, sed potius ex simili mente et cogitandi more, qui inter Romanos atque Graecos intercedebat, vel ex similibus agrestium ludicris vel mimis vulgari sermone incedentibus

perfecta esse affirmat recte Passow.¹⁾ Immo nihil unquam invenias, quod in satiris sit quaesitum, nihil quod rerum verae condicioni repugnet, a singulorum hominum moribus dissentiat; nunquam se implicent sententiae, sed transitiones, quamvis subito atque abrupte exoriri videantur, tamen arctissime cum praecedentibus cohaerent, omnia denique ex ingenio Horatii sunt pronata.

Atque haec scribendi ratio soluta, hic diverbiorum vividus fervidusque decursus eo est praestantior atque quodammodo obruit Atticorum comicorum exemplaria, quod raro decorum vel honestum penitus negligitur, quod rarissime offendimus res obscenas, quae apud Graecorum comicos saepius leguntur atque in mimorum praesentationibus increbuerunt, ubi vivida quidem morum descriptione excellabant mimi, tamen, ut veram nobis imaginem hominum humili loco natorum praeberent, triviis innata immunda crepantes ignominiosaque dicta prorsus ab poëseos vicibus atque consilio sublimi aberraverunt. Contra nunquam Horatii satirae, nisi forte huc numeras Sat. 1, 5, 85, quamvis laudata erum verborumque varietate vitae communis sermonibus proxime accedant, hac ex causa vel sentiis obscenis vel oratione ex triviis petita inquinantur, sed Platonis scribendi elegantia in sat. I. 3, 9; II. 1, 3, 7 maxime conspicua excellunt. Quoties vero nihileminiis ad vulgarem mimorum elocutionem descendit Horatii, hoc semper turpes mores irridendi causa facit vel praeceptum aliquod gravius et asperius inculcare studet.

Quamobrem et a mimorum lascivia et Atticorum comicorum obscenis verbis ita remotus est Horatius, ut nonnisi comediae rerum orationisque varietatem imitetur eandemque varietatem non verbis impudicis deonestet sed maxime Socratis *εἰρωνεία* urbana atque festiva exornet. Ergo ignorantiam simulans eo inopinatus adversarium implicat eumque in suas partes invito discedere cogit; ex Platonis potius scriptis, quibus dialecticae subtilitates maxime sibi comparare poterat, petivit artem illam, qua ambitiosos, avaros libidinosos irrisione hilari et lepida exagitat. Quod interdum Homeri versus ridicule transvertit, Ofelli rusticam sapientiam epicorum

1) Sunt quidem nonnullae sententiae e Graecorum poëtis comicis ad verbum redditae, quod praesertim in primis hujus poëseos initiis, ut in sat. I. 2 factum esse non est mirum; praeter pauca Graecorum proverbia (II. 3, 275, 321; 5, 82), ut Passow copiosius exponit, etiam alia quaedam ad Lucretii, Terentii Luciliique verba expressa esse videntur.

elocutione expedit vel Vibidius rhetorum oratione tumida exclamat: „Nos nisi damnose bibimus, moriemur inulti“ vel Nomentanus Nasidieni miseram sortem pari oratione grandiloqua deplorat: semper inest huic elocutioni quaedam dissimulatio urbana, qua alias Stoicorum ostentationes aequae ac Socrates sophistarum arrogantiam ridendo exagitat et homines molestos lepidissimis contemptus significationibus repudiat. Quum porro etiam Horatius totus sit in via recte sapienterque vivendi exquirenda, eadem merito de Horatianis satirarum diverbiis proferre possumus, quae Cicero de Platonis dialogis observat, quos soluta quidem oratione procedere dicit eosdemque, quum oratio eorum modo incitatus feratur, modo clarissimis verborum luminibus eniteat, poësi similiores esse praedicat quam quorundam comicorum diverbia; haec enim, „quod acer spiritus ac vis nec verbis nec rebus inest, nisi quod pede certo differunt sermonibus, meri sermones sunt.“ Exinde igitur Horatius pariter ac Platonis Socrates rerum cognitionem experientia comparatam verum sapientiae fontem esse censet, de rebus summis atque officiis erga patriam, amicos, parentes, fratres ut poëtae potissimum recogitent, expostulat; inde profecto, quum uterque cogitata dicta gesta aequalium optime et urbanissime litteris mandare calleat, argumenti gravitatem salibus et jocis temperet, sublimiores interdum spiritus sumat: haud quisquam melius Platone et Horatio vivendi numeros modosque pariter aptis numeris modisque scribendi expedit; haud quisquam melius non solum mentes persuadet sed etiam animos movet; semper oratio tam Platonis quam Horatii in iudicii magis acumine quam in ore magna sonaturo nititur; ad Platonis artem etiam Horatius modo narrat, modo colloquitur, altius insurgit animoque incalescit in sat. II. 6 et, quum Sabini praedio donatus Faunis Silvanoque sacra facere et Epicuri libertati atque otio indulgere instituit, ad carminis pastoralis rationem vitae rusticae describit quietem et morum simplicium innocentiam; saepissime jocatur, interdum graviter docet: semper vero et docet et delectat, semper in medias res rapit, communis sermonis, quantum poëseos munus ingenium concedit, imitatur indolem veramque exhibet rerum hominumque imaginem, semper a rebus fortuitis exoritur et pariter jocose atque lepide absolvitur quaeque satira; gravissima praecepta plerumque medium totius sermonis obtinent locum, quo antecedentia tendant, succedentia nitantur: ex illis autem saturae veteris miscellaneis, quae et Horatio florente apud agrestes dabantur et

ab Ennio, Varrone integra adhuc rerum orationisque confusa varietate ad legendum transformabatur, nil nisi haec a nobis modo descriptae varietatis externum quasi velamentum Horatianis sermonibus inhaerebat.

Abierunt igitur illa veteris saturae miscellanea, e quibus Lucilius et Ennius cum Varrone res numerosque diversos immiscendo arctius pendebant, transformata quasi natura membrorum in aliam rerum orationisque varietatem eamque Platonis dialogis hoc maxime similem, quod, quo altius sermonibus temere fortuitoque exortis recondebatur sententia primaria, haec in medium tandem prolata eo magis ad legentium animos percutiendos et cujusque satirae concentum illustrandum valebat. Eadem vero sententiarum junctura discincta et temeraria quum in omnibus satiris tum maxime in sat. I. 3 et II. 3 in aperto sit, ibidemque Stoicorum ineptiae exagitentur, tamen dispositionis ordinem perscrutantes nihil vel inconditum vel abruptum, nihil inconcinnum vel a re alienum offendamus: immo ex quadam vi ingenita studiisque optimorum philosophorum aucta non solum ad vitae felicitatem sapientia comparandam omnia referuntur sed etiam inventio, compositio atque tractatio hoc modo instituitur, ut quaeque satira, quamvis membrorum junctura sit soluta, aliquo praecepto totius argumento varietatem in unum revocet, coerceat atque connectat.

Sed quae modo de hujus poëseos compositione rerumque lepidissima varietate monuimus, haud minus in elocutionem universam numerorumque usum quadrare videntur. Sicuti enim satirarum indole atque natura fit, ut integro totius compositionis concentu argumenta mutantur et variantur: ita etiam simplicitate dicendi integra semper varia est elocutionis ratio; ergo in verbis eligendis membrorumque junctura cum gratia ludit poëta, jam consulto sententiarum nexum negligens abrupte procedit, vehementius incalescit et torrentis instar fertur. In eo vero semper illud „sapere aude“, quod initium et quasi fons recte vivendi et scribendi sit, religiose observat ac multo magis acumine sobrio quam poëtarum melicorum audacia et ardore grandiloquo est conspicuus; rarius adhibentur audaces translationes tropi figurae melicorum, frequentius vero locum habent zeugmata et ellipses sermonis communis propria iisque universa hujus Musae humi repentis elocutio simplex dici potest. Item et imagines et comparationes, licet multum in iis sit vigoris fervidi, tamen ut supra diximus, sententiis illustrandis potius quam exornandis inserviunt.

Plerumque autem Horatii satirae acriores sumunt spiritus nonnisi tum, quum eandem orationem magis incalescentem animi motus vehementiores etiam in vita communi expostulant (cf. sat. I. 4, 48—56)⁴). Item, quoniam Romanorum satira ad vitae communis sermonem est exaranda, non fieri potuit, quin Horatius illam scribendi elegantiam aetatis Augusteae, quae Graecorum exempla maxime imitari studebat, in carminibus abundantius, in satirarum elocutione autem temperatius sequeretur et in verbis utendis formandisque varietatem cum simplicitate dicendi conjungere, a Lucilii vero more Canusino bilingui abesse satis haberet.⁵) Eadem porro temperantia in admitendis archaismis omne nimium effugit atque usum optimum arbitrum secutus rarissime inf. pass. in syllabam — er — terminat, vel „didit“ pro „dedit“, surrexe pro „surrexisse“, „evasti“ pro „evasisti“, „queis“ pro „quibus“ usurpat; nam bene vidit hunc inveteratorum verborum usum, quo elocutionis quadam gravitate res sublimiores induere studebat Lucretius, satiraram generi mediocri minus convenire.

Sed sicuti Lucretius Romanorum poëtarum primus recte scribendi artem ab antiquis Latinorum poëtis neglectam tueri et res magnificas simili dicendi elegantia exornare coepit, ita etiam Horatius in satiris componendis, quatenus in hac poesi quasi humi repente concessum erat, non in illa quidem artificiosa elegantia carminibus impressa, sed sermone puro mereque Latino maxime elaborabat et ob eandem scribendi lituram sibi contra maledicorum obtrectatorum convicia majorem laudem quam Lucilio inventori vindicare merito ausus est. — Eadem demum, quae de universa satirarum oratione atque elocutione affirmavimus in numerorum usum varietatemque temperatam quadrare manifestum est. Dum enim Lucilius neque res ad unam sententiam primariam referre studet ejusque miscellanea undique decerpta et quasi conglomerata numeris pariter lutulentis decurrunt, Horatius contra pari constantia, qua et in rebus et oratione tractanda singularis exstitit, pristinam satira-

- 4) Attamen etiam in elocutione fervidiore, ubi praesentis vel infinitivi historici usus est frequentissimus, nunquam temporum consecutio negligitur.
- 5) Itaque accusativus singularis nominum Graecorum terminatur plerumque syllabis *an*, *a*, *in*; saepius genus neutrum adjectivi conjungitur cum genitivo; pariter et attractiones vel genitivi, dativi, accusativi, infinitivi usus Graecae structurae redolet indolem.

rum varietatem, quatenus haec etiam numeris exprimi debeat, ad unius versus heroici usum revocavit. Ideo hexametrum in omnibus quidem satiris adhibere constituit, attamen hanc restrictam numerorum varietatem ita compensabat, ut eidem hexametro illud grave atque magnificentum carminis heroici adimeret eumque tam soluto liberoque decursu quam incisionum asperitate juncturae sermonis communis solutiori propius admooveret idem que maxime elisionibus frequentissimis, hiatu, versibus spondaicis, pedum singulorum variationibus consequeretur.

Ergo, ut modo demonstravimus, praeter notandi temperatam licentiam etiam varietate pariter restricta tam universae dispositionis quam elocutionis et numerorum insignis est Horatius eoque Lucilium et Persium prope obruit, quod nunquam singulorum membrorum consensum vel nimis negligit vel morosius observat; eo profecto melius quam Persius et Juvenalis satirae tuetur partes, quod transitionibus a re alienissimis prorsus abstinet nec veluti augur, qui auspiciorum templum manu designare solebat, cujusque satirae lineamenta in exordio praecipit vel languida strictaque rhetorum dispositione satiris singulis singula vitia pertractat. Ultro quin, quod sit satirae munus, haud ignarus illa incedit temperantia, qua semper medium tenet, semper contra Juvenalis consuetudinem morosam urbani vices defendit, contra rhetorum declamationes tetricas una eademque satira plura vitia perstringere non dubitat, omnes demum sermones ad illum liberum atque discinctum decursum, qui apud recentes Gallos nomine „causerie“ increbuit, conformare callet.

Has autem satirarum virtutes urbanitatemque quum et aliorum philosophorum et praecipue Platonis scriptis sensim increvisse perspeximus, tum Horatii cum Vergilio, Vario ceterisque poetis clarissimis commercium ad illam scribendi lituram jam in primis satiris conspicuam magnopere redundasse haud quisquam negabit, dummodo paululum in poeti Horatiana versatus sit et clarissimorum virorum existimatio honorifica, quanti semper sit momenti ad ingenia excitanda, recordetur. At, cujusnam viri praesidio haec satirarum urbanitas maxime effloruerit, perquirentes ex ipsius poetae scriptis luculentissima trahimus documenta, quae Musae Horatianae quasi parentem fuisse Maecenatem eo ostendunt, quod non solum primum fasciculum (sc. lib. I. et II.) Maecenati, „praesidio et dulci decori suo“ dedicavit, sed etiam decem annis ante (33 a. Ch. n.) satirarum libri primi exordium ab Maecenate incipit aliasque se

id maxime exoptare asseverat, ut in satiris componendis maxime Maecenati placeret.

Etsi haec eadem non tam planis, ut facit, verbis pronuntiasset poeta, tamen, quantum viri benevolentia Octaviano acceptissimi et omni vita victu humanitate politissimi ad orationis numerorumque artem, qualem modo fusius exposuimus contulerit, et per se conicere fas est et jam in primas quasdam satiras inita cum Maecenate amicitia singularem ubertatis vim exercebat; Maecenatis enim studiis atque usu familiari majori jam temperentiae locus datur; exinde jam major enascitur castigandi urbanitas, qua jam satirae I. 10, 6, 9. 1 ab ejusdem libri sat. 2, 3, 4, 5, 7. 8 discrepant; inde ducenda est illa sollertia, qua satirarum libro secundo scurrae, aretalogi, parasitae, luxuriosi in colloquium producuntur. Quis enim non meminit Crispini, Damasippi, quorum nomina ipsa universum quoddam philosophorum ineptorum genus in memoriam revocant; quos, quum virtutis rigidos se esse satellites gloriose praedicant, solita *εἰρωνεία* adeo implicent et praepedivit Horatius, ut nec reges nec sapientes nec liberi sed miserimae ambitioni obnoxii esse appareant semperque sani esse videantur, „nisi pituita molesta sit.“ Maecenatis igitur auspiciis faventibus magis magisque evalescebat haec Horatii Musa militans et nominibus Nasidieno, Catio, Nomentano, Pantolabo, Scaeva, Aufidio tantummodo enuntiatis varia hominum genera, ut stultos quosdam fortunis inepte superbientes, avaros, lenones, luxuriae deditos propriis intuemur oculis; qua incredibili virtute inter recentium Gallorum comicos imprimis insignis exstitit Molierus Harpagone vel Alceste personis pari describendi veritate diffamatis. Quis porro non admirabitur Horatii rerum hominumque experientiam sive Catium summa cum ostentatione de arte coquinaria verba facientem inducit, sive Nomentano parasitae mille talenta apud scurras deponere placuit? Cui legenti Fundanii narratio lepida atque hilarissima de coena Nasidieni beati risum non movebit, ubi hominis importuni mores humiles atque illiberales vivido dialogi fervore et aptissimis cum dissimulationibus adumbrantur? — Ceterum ad omnes has satirarum virtutes accedit quaedam aequitas cum hilaritate animi; conjuncta, qua et aequalium mores perversos reprehendit poeta et procul ab omni nimia sui aestimatione atque arrogantia id maxime cavet, ne hominum risus se captare, aliorum vitia in oculis, sua a tergo habere convinceretur; proinde etiam in jocando

aeque gravis atque in vituperando jucundus est. Hanc vero aequitatem urbanam, qua et aequales et se ipsum simul prosequitur, ex eodem docendi consilio, quo ipse moribus emendandis proficere studeat omnesque satirae Horatianae nitantur, esse petendam quum per se consentaneum est tum poëtae ipsius verbis docemur dicentis:

Quum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,

Cur in amicorum viliis tam cernis acutum.

Quam aut aquila aut serpens Epidaurius?

Laborabat enim poëta ipse nonnunquam ex oculorum lippitudine ejusdemque morbi saepius in satiris mentionem facit (cf. sat. I. 1, 120; 3. 25; 5. 30, 49; 7. 3.). Itaque, quoniam huc totum animum habebat intentum, ut sibi res, non se rebus subjungeret idemque bene scribendo linguam latinam exornaret, non mirum, quod modo in sat. II. 7 se ipsum magna cum animi sinceritate perstringit, modo in sat. 1, 4 se ex poëtarum numero excipit.

Quamquam, quum hanc aequitatem ex candido docendi consilio profectam jure laudamus, id cavendum esse arbitror, ne eadem quae in memoratis satiris de sua vivendi atque scribendi ratione in medium proferat poëta, ad verbum accipias; immo quemque rem altius investigantem haud effugerit, Horatium sua vitia consulto, cum *siq̄ovēia* Socratica extulisse, urbanius quam verius confessum esse. Quod idem nec in cynicorum aberrat impudentiam nec animo male aperto clarissimi cujusdama uctoris recentium Gallorum⁶⁾ ipse verba facit atque in medium prodit, sed Davum servum provocat, ut Decembri licentia utens dominum probris conviciisque increpet: quid aliud curabat his urbanis facetiis nisi, ne dum morosorum aretalogorum ridiculas jactationes exagitet, eadem vitia in ipso coarguerentur seque ex aequalium moribus depravatis videretur excipere? Ergo cur non eodem jure, quo ne sibi quidem parceret, aequales etiam exprobraret, ut omni invidia, quam ex hoc poëseos genere sibi contrahere posset, prorsus sublata homines eo acrius ad virtutem exercendam expergiscerentur?

Quum per Davum sua vitia exasperat et, quantum odium veritas pariat, lepidissimis animi irati simulationibus adumbrat, quid aliud tendebat Flaccus nisi, ut ii, qui sua legerent scripta, eo promptiore pectore praeceptorum verba salutaria adhiberent? — Idem

⁶⁾ Les confessions de Jean Jaques Rousseau.

perro Horatius quum in dubium vocat, utrum satira sit poëma nee ne, neque se ob eandem causam poëtarum turbæ annumerat: quid sibi vult hæc sinceritas magis dicax et urbana quam gravis et seria nisi, ut ad satiras componendas non tam inani laudis poetice ambitione quam studio ipsius mores alienis exemplis emendandi impulsus esse poëtam persuadeamur (cf. sat. I. 4, 105—138).


At, si nihilosecius quandam egregii poetæ laudem appetere videtur, hoc ita facit, ut, quum satiras suas doctis tantum iudiciis legendas offerat nec per recitationum coetus innotescere velit, in illud Epicuri potissimum discedat: „Nunquam volui populo placere; nam quæ ego scio, non probat populus, quæ probat populus, ego nescio.“ Hoc vero poëtae studium candidum, quo maxime moribus proficere et viris humanitate doctrinaque conspicuis placere enitebatur, profecto multum contribuit, ut a cetera obtrectatorum turba longe longèque removeretur satirarumque sales stimulosque præcipue adjiceret illis, qui scribendi laudem nimis adpeterent vel immerita et præsumpta antiquorum poëtarum admiratione decepti vel invidia recentium scriptorem ducti hoc novum satirarum genus detrectarent emendate venusteque scribendi curam conviciis et probris injustis persequerentur. Ad summam: omnis hæc satirarum laudata urbanitas, qua Horatius a Lucilio, Persio, Juvenale discrepat, in eo summopere consistit, quod non laedere gaudet, sed tantummodo contra obtrectatores et omnes aequales, qui magna in parvis, parva in magnis ponant, se ipsum ejusque vivendi atque scribendi rationem defendere, tueri, emendare atque hilariter docendo probare conatur.

~~~~~

En exposuimus pro virili parte nostra illam rerum orationisque varietatem et sententiarum juncturam solutam, quibus obscura quaedam veteris saturæ vestigia etiam in hoc novo satirarum genere reperias; illustravimus quum doctissimorum virorum iudicia tum potissimum poëtae scripta spectantes illam elocutionis numerorumque simplicitatem cum urbano docendi consilio ac castigandi temperantia æquitæque conjunctam; hisce revera virtutibus omnibus et inter antiquos et recentes satirarum scriptores primam reportavit palmam Horatius sibi que monumentum perennius quam carminibus melicis exegit; non enim hæc Musa quasi militans pro-

fecta est ab imitatore versuto, sed ex auctore ingenioso, quia satiris ejus melius quam a quolibet rerum scriptore aequali verissima Augusteae aetatis imago nobis exhibetur, quia semper poëtam talem cernimus, qualis erat, quia nullibi vestigia aliena pressius sequitur, sed ingeniosa potius imitatione, qua sicut omnium artium incrementum atque vis continetur, hoc est, propriis ingenii opibus transformabat omnia, quae ex omicis vel philosophorum dialectice, ex Latinorum ludicris agrestibus vel mimorum repraesentationibus ad satirarum virtutem et laudem redundare possent. Eo autem consilio aequales castigat, propria vitia detegit, suos mores defendit, ut illam animi libertatem tranquillitatemque sibi conciliaret, quae sola homines beatos reddere posset; id tantummodo agit, ut inter omnes animi corporisque vires talem constitueret concordiam, quae inter extremas partes medium tueretur; quapropter etiam in scribendo mediam est ingressus viam, quae aequè distet ab melicorum elocutione grandiloqua, aequè ab communis sermonis usu vulgari.

Haec autem aurea mediocritas maxime valet acuminis facultate et, quum tota ex Socratis vel Platonis philosophia profecta, Maecenatis autem studiis faventibus aucta sit, in iis rebus potissimum acquiescit, quae non subtilibus philosophorum nugis vel poëtarum ore magna sonaturo splendeant, sed festivis potius descriptionibus ex vita communis petitis legentium animos detineant atque excolant; hoc denique medio poëseos genere i. e. satiris pedestribus quasi humi repentibus efficit Horatius, ut quum ridendo verum dicat, et doceat simul et delectet.





## Errata.

| Pag. | 4  | linea | 5  | pro | ali                 | legas | tali               |
|------|----|-------|----|-----|---------------------|-------|--------------------|
| "    | 4  | "     | 9  | "   | quae rebat          | "     | quærebat           |
| "    | 4  | "     | 12 | "   | opinionibus         | "     | opinionibus        |
| "    | 6  | "     | 15 | "   | Lucilli             | "     | Lucilli            |
| "    | 7  | "     | 8  | "   | perstringit         | "     | perstringit        |
| "    | 7  | "     | 17 | "   | nuper perstringit   | "     | perstringit        |
| "    | 7  | "     | 18 | "   | diffamatam          | "     | nuper diffamatam   |
| "    | 8  | "     | 24 | "   | scribendi eorumdam  | "     | eorundem scrib.    |
| "    | 8  | "     | 27 | "   | constituit          | "     | constituerit       |
| "    | 9  | "     | 14 | "   | primorum            | "     | primoribus         |
| "    | 10 | "     | 20 | "   | Flanus              | "     | Flaccus            |
| "    | 14 | "     | 1  | "   | affirinat recte     | "     | recte affirmat     |
| "    | 14 | "     | 17 | "   | erum                | "     | rerum              |
| "    | 15 | "     | 35 | "   | ingenum             | "     | ingenuum           |
| "    | 17 | "     | 17 | "   | satiraram           | "     | satirarum          |
| "    | 18 | "     | 7  | "   | idem que            | "     | Idemque            |
| "    | 19 | "     | 8  | "   | exercebet           | "     | exercebat          |
| "    | 19 | "     | 17 | "   | implicnit           | "     | implicuit          |
| "    | 19 | "     | 36 | "   | animi; conjuncta    | "     | animi conjuncta    |
| "    | 20 | "     | 24 | "   | ejusdama uctoris    | "     | cujusdam auctoris  |
| "    | 21 | "     | 12 | "   | nesico              | "     | nescio             |
| "    | 22 | "     | 7  | "   | omicis              | "     | comicis            |
| "    | 22 | "     | 11 | "   | tranquilli tatemque | "     | tranquillitatemque |
| "    | 22 | "     | 13 | "   | communis            | "     | communi            |

E 1 2 2

| Year | City  | Days | Days |
|------|-------|------|------|
| 1890 | Paris | 10   | 10   |
| 1891 | Paris | 10   | 10   |
| 1892 | Paris | 10   | 10   |
| 1893 | Paris | 10   | 10   |
| 1894 | Paris | 10   | 10   |
| 1895 | Paris | 10   | 10   |
| 1896 | Paris | 10   | 10   |
| 1897 | Paris | 10   | 10   |
| 1898 | Paris | 10   | 10   |
| 1899 | Paris | 10   | 10   |
| 1900 | Paris | 10   | 10   |
| 1901 | Paris | 10   | 10   |
| 1902 | Paris | 10   | 10   |
| 1903 | Paris | 10   | 10   |
| 1904 | Paris | 10   | 10   |
| 1905 | Paris | 10   | 10   |
| 1906 | Paris | 10   | 10   |
| 1907 | Paris | 10   | 10   |
| 1908 | Paris | 10   | 10   |
| 1909 | Paris | 10   | 10   |
| 1910 | Paris | 10   | 10   |
| 1911 | Paris | 10   | 10   |
| 1912 | Paris | 10   | 10   |
| 1913 | Paris | 10   | 10   |
| 1914 | Paris | 10   | 10   |
| 1915 | Paris | 10   | 10   |
| 1916 | Paris | 10   | 10   |
| 1917 | Paris | 10   | 10   |
| 1918 | Paris | 10   | 10   |
| 1919 | Paris | 10   | 10   |
| 1920 | Paris | 10   | 10   |
| 1921 | Paris | 10   | 10   |
| 1922 | Paris | 10   | 10   |
| 1923 | Paris | 10   | 10   |
| 1924 | Paris | 10   | 10   |
| 1925 | Paris | 10   | 10   |
| 1926 | Paris | 10   | 10   |
| 1927 | Paris | 10   | 10   |
| 1928 | Paris | 10   | 10   |
| 1929 | Paris | 10   | 10   |
| 1930 | Paris | 10   | 10   |
| 1931 | Paris | 10   | 10   |
| 1932 | Paris | 10   | 10   |
| 1933 | Paris | 10   | 10   |
| 1934 | Paris | 10   | 10   |
| 1935 | Paris | 10   | 10   |
| 1936 | Paris | 10   | 10   |
| 1937 | Paris | 10   | 10   |
| 1938 | Paris | 10   | 10   |
| 1939 | Paris | 10   | 10   |
| 1940 | Paris | 10   | 10   |
| 1941 | Paris | 10   | 10   |
| 1942 | Paris | 10   | 10   |
| 1943 | Paris | 10   | 10   |
| 1944 | Paris | 10   | 10   |
| 1945 | Paris | 10   | 10   |
| 1946 | Paris | 10   | 10   |
| 1947 | Paris | 10   | 10   |
| 1948 | Paris | 10   | 10   |
| 1949 | Paris | 10   | 10   |
| 1950 | Paris | 10   | 10   |
| 1951 | Paris | 10   | 10   |
| 1952 | Paris | 10   | 10   |
| 1953 | Paris | 10   | 10   |
| 1954 | Paris | 10   | 10   |
| 1955 | Paris | 10   | 10   |
| 1956 | Paris | 10   | 10   |
| 1957 | Paris | 10   | 10   |
| 1958 | Paris | 10   | 10   |
| 1959 | Paris | 10   | 10   |
| 1960 | Paris | 10   | 10   |
| 1961 | Paris | 10   | 10   |
| 1962 | Paris | 10   | 10   |
| 1963 | Paris | 10   | 10   |
| 1964 | Paris | 10   | 10   |
| 1965 | Paris | 10   | 10   |
| 1966 | Paris | 10   | 10   |
| 1967 | Paris | 10   | 10   |
| 1968 | Paris | 10   | 10   |
| 1969 | Paris | 10   | 10   |
| 1970 | Paris | 10   | 10   |
| 1971 | Paris | 10   | 10   |
| 1972 | Paris | 10   | 10   |
| 1973 | Paris | 10   | 10   |
| 1974 | Paris | 10   | 10   |
| 1975 | Paris | 10   | 10   |
| 1976 | Paris | 10   | 10   |
| 1977 | Paris | 10   | 10   |
| 1978 | Paris | 10   | 10   |
| 1979 | Paris | 10   | 10   |
| 1980 | Paris | 10   | 10   |
| 1981 | Paris | 10   | 10   |
| 1982 | Paris | 10   | 10   |
| 1983 | Paris | 10   | 10   |
| 1984 | Paris | 10   | 10   |
| 1985 | Paris | 10   | 10   |
| 1986 | Paris | 10   | 10   |
| 1987 | Paris | 10   | 10   |
| 1988 | Paris | 10   | 10   |
| 1989 | Paris | 10   | 10   |
| 1990 | Paris | 10   | 10   |
| 1991 | Paris | 10   | 10   |
| 1992 | Paris | 10   | 10   |
| 1993 | Paris | 10   | 10   |
| 1994 | Paris | 10   | 10   |
| 1995 | Paris | 10   | 10   |
| 1996 | Paris | 10   | 10   |
| 1997 | Paris | 10   | 10   |
| 1998 | Paris | 10   | 10   |
| 1999 | Paris | 10   | 10   |
| 2000 | Paris | 10   | 10   |



33065